

rentiam, qui Platonem Propheta Jeremia in Ægypto institutione orali usum non sine insigni *Ἐπιχρησισμῶ* statuebant, hoc tamen affirmare non veretur, ipsum utpote acerrimi studii hominem, sacras literas per interpretem didicisse, non ut scribendo transferret, sed ut colloquendo quid continerent, quantum capere potuisset, addisceret. Hinc JUSTINUS martyr PLATONEM, quoties Barbarorum, ex quibus aliquid percepisset, mentionem faceret, facit autem sapisimè, semper Ebræos denotare sibi persuadet. Sic NUMENIUS Philosophus, cum Platonem multa à Moysè desumpta in sua transtulisse deprehenderet, *τί ἔστιν, ἢ μωϋσῆος ἀπικίζων*, inquit, *πλάτων ἢ μωϋσῆος ἀπικίζων*, quid est Plato, nisi Moses atticissans? Idem observavit ARISTOBULUS Judæus lib. 1. ad Philometora Ægypti Regem, prout citat eum EUSEBIUS: Legem, inquit, nostram in multis Plato sequutus est: aperte namq; in multis examinasse singula videtur, Mosaica enim volumina ante Alexandrum, & ante Persarum imperium traducta fuerant: unde plurima sicut & Pythagoras Philosophus ille accepit.

26. Id quod præprimis ab EUSEBIO discimus, qui libris XI. & XII. de præparat. Evangel. non solum Platonem universam penè suam & Theologiam & Philosophiam ab Hebræis mutuatum esse, verum etiam lib. X. Græcos omnes cunctam sapientiam, imò & scribendi artem ab Hebræis accepisse, satis superq; demonstrat. Affinia huic leges apud THEODORETUM de Græcor. Affectionibus curan. Et hoc eò minus mirum in Platone, qui sedulus Ægyptiorum Sacerdotum auditor fuerat, quorum doctrina utiq; Hebrææ erat propago. Ipsum n. in Sai sacerdotem Partanin, in Aeliopoli alium nomine Oclapi, in Sebennytho quendam Ethimon audivisse, scribit PROCLUS ad Timæum. Nec est quod talia PLATONEM ex TRISMEGISTO hausisse autumes, quòd multa hujus scriptis convenientia docuerit, siquidem, quæ hodiè Mercurio isti tribuuntur, pleraq; omnia esse supposititia, magnis viris jamdudum suboluit.

27. Quæ cum ita se habeant, satis mirari non possum, magnos quosdã viros, ad probandam Luminis naturæ efficaciam & virtutem adhibere ea, quæ PLATO de divinis rebus conscripserit, quasi illa omnia solis naturæ viribus sine ullo externo medio cognovisset, cum ex jam dictis certum sit, illum institutioni Hebræorum & Ægyptiorum omnia debuisse.

Atq; ita Theologia nostra explicit, quam si accuratorem quis à nobis aut expolitorem requirat, ille aut suo nos modulo metiri, aut materiæ cum prolixitate tum obscuritatem ignorare videtur; quod si uberius nobis otium & cõmodius suppetat, quicquid illius nunc deficit, prolixiore studio emendaturum recipio, tuã interea benevolentia L. O. itentidem expectans.

C O R O L L A R I A.

Si Judæorum vulgus Trinitatem ignorabit, Platonici extra Ecclesiam utiq; fuere feliciores. Ideas, quales communiter fingunt, Plato nunquam statuit.

Errant, Anatomiam corporum physico quibus adimunt.

Animas nostras super futuras corporibus, ex natura firmiter non demonstratur.

Nondum perspecta Spiritus natura, nihil certi potest statui de ejusdem multiplicatione.

Disquiri potest, annon immortalitas animæ rationali ex gratia sit collata.

Sensus errare non potest.

Semiramis non edificavit Babylonem.

F I N I S.